

46 Dies Sancti beatificati impeditus potest transferri ad diem non impeditum, & numero 47.

39.

Per beatificationem, sicut & canonizationem defertur aliquis sacer cultus in honorem talis servi Dei, in utilitatem fidelium, qui inde ad devotionem inflamantur, ad talisque iusti virtutes imitandas excitantur, & ad gloriam Dei, qui est mirabilis in sanctis suis; opera enim, & miracula facta à tali Sancto, facta sunt gratiâ, & virtute Dei, inservitque etiam hoc ad magnum decorem Religionis, Provinciarum, ac patriarum, quæ tale germen produxit.

40. Inoc. X.

Pro fundamento omnium, quæ dicenda sunt in hac questione, propono Decretum Innocentii X. nam cum in Sacra Congregatione Rituum delata essent multæ Auctorum sententiæ (quas statim referemus) exponentes Brevia Pontificia pro cultu Beatorum concessa, violentè, contra ipsorum verba, & mentem Sacræ Congregationis Innocentius X. condidit hoc Decretum sequentis tenoris.

41. S. Congr.

Sacrorum Rituum Congregatio die 5. Octobris 1652. Censuit, & declaravit, si Sanctissimo Domino nostro placuerit, non potuisse, nec posse tam seculares quam Regulares cujuscumque Ordinis, & instituti etiam Societatis Jesu, excedere limites verbales indulgentiarum Sedis Apostolicæ super beatificationibus, præsertim in celebratione Missarum, & Officii cum Octavis, nisi hoc Sedes Apostolica expresse eis indulserit, & facta relatione per me Cardinalem Cornelium Episcopum Albanensem die 16. Decembris 1652. Sanctitas sua approbavit, & sic ut præmittitur servari mandavit. F. Episcopus Albanens. Cardin. Cornelius. loco sigilli J. Bernardinus Roccius Secretar. Rituum Congregat. Sacr. Romæ ex Typographia R. Camera Apostol. 1652. de quo vide infra, quæst. 7. num. 54.

42.

Ex quibus sequitur. Primo, quod quando pro aliquo Dei servo beatificato conceditur pro aliqua Religione, vel Provincia, quod fiat de eo Officium, & Missa celebretur, Religiosi illius Religionis, vel Clerici illius Provinciarum non tenentur sub peccato mortali, sed tales Ecclesiastici liberè potest omittere tale Officium, quia in Bullis beatificationis Stylus Curie habet, ut patet ex n. 1. tales Religiosi poterunt Missam celebrare, & Officium recitare; qui modus dicendi non infert obligationem, ut rectè observat M. Lezana in consulte. consult. 1. n. 63. aliter dicendum de Sanctis canonizatis: nam in Bullis canonizat, dicitur statuentes ut ab universis fidelibus Officium recitetur, & Missa celebretur, qui modus dicendi imponit obligationem.

Lezana.

43.

Nota etiam Granado 2. n. 2. controvers. 1. tract. 7. disp. 4. sect. 2. num. 47. quod quando pro aliquo Beatificato conceditur aliqui Religioni Missam celebrare de eo in die obitus ejus, quod Sacerdos talis Religionis ubique terrarum poterit de eo Missam celebrare, in Ecclesia alterius Monasterii, vel Parochiarum absque culpa mortali, ait ipse quod si semel, aut bis hoc fieret non videri peccatum lethale, quia cum celebratio sit licita, quod solum mutatur

Ecclesia, vel altare, non videtur gravis inordinatio, nisi ea mutatio toties fieret, ut merito judicari posset valde contraria decreto Summi Pontificis: ita ille; & ultimum quod dicit, mihi non placet, quia si Religiosus per decem annos cum licentia sui Prælati sit in una Civitate, in qua non est Conventus sui Ordinis, quotannis in die talis beatificati, verbi gratiâ, Beatæ Mariæ Magdalene de Pazzi, poterit Carmelita de ea Missam celebrare, quia concessio Missam celebrandi solum restringitur ad personas illius Religionis, non verò ad illius Ecclesias, vel loca, nisi expresse in Bulla beatificationis locus restringatur.

44.

Maximè tamen dubitatur, an de Sancto beatificato possit celebrari Officium cum Octava, vel Missa votiva per annum dici, vel etiam de eo per annum dari illius commemoratio? Negativam partem constanter tenentur Turrianus 2. 2. disp. 17. dub. 8. Amicus tom. 5. disp. 7. sect. 4. num. 100. Trullench. in Decalog. tom. 2. lib. 1. cap. 9. dub. 5. num. 9. & 10. Joannes à D. Thoma 2. 2. disputat. 9. artic. 1. folio 772. Diana tom. 12. tract. 2. resol. 19. §. Objectiones. Fundamentum eorum est, quia Sancto beatificato non potest deferri aliquis cultus, nisi tantum ille qui in Bulla beatificationis exprimitur expresse, ac declaravit Innocentius X. at qui tantum declaratur, quod fiat Officium, & Missa de eo in die obitus ejus, ergo ultra non potest fieri Officium: ac Missa cum Octava, nec votivæ per annum; de Octava expresse prohibetur in dicto Decreto.

45.

Tamen salva pace tantorum virorum, Dico, quod bene potest Missa votiva celebrari de Sancto beatificato, quando primo solemnitas ejus beatificationis celebratur in aliqua Provincia, vel in aliquo Conventu Religionis ab his, quibus conceditur de eo Missa celebrari, sicut & ab eis potest Missa sacrificium dici, quando primo altare, vel Capella dedicatur beatificato, vel præ aliqua magna necessitate, vel beneficio obtento. Probatur, quia talibus personis concessum est de tali Beato Missam celebrari, proinde declaratur illum esse dignum ut Missæ sacrificio honoretur. Hi autem casus sunt magni, & magna nota digni, ergo per epieicheiam videtur excepti à communi lege, & si Pontifex de illis interrogaretur, valde verisimile est, quod concederet: loquimur secundum communem stylum beatificationis, quia si sua sanctitas concesserit, quod de eo quodlibet die, & à qualibet persona possit Missa celebrari, tunc cessat omnis difficultas.

46.

Si tamen Sanctus beatificatus ex causa transferatur, verbi gratiâ, dies 25. Maii est festivitas Beatæ Mariæ Magdalene de Pazzi, si tunc incidere solemnitas Ascensionis an ejus festivitas poterit transferri in alium diem non impeditum? Multi apud Auctores citandos negant, alii plurimum dubitant. Ut Joannes à Divo Thoma supra citatus, Diana citato tractatu 12. resolutione 21. Paragrapho Verum oppositum, quia dies beatificati assignata est à Sacra Congregat pro tali die, ergo in alium non potest transferri, quia juxta Decretum Innocentii X. beatificato non potest alius cultus deferri, nisi illi tantum,

Turrianus. Amicus. Trullench. Joan. à D. Thoma. Diana.

Joan. à D. Thoma. Diana.

tantum, qui assignatus est à Sacra Congregatione; & ideo Auctores citati dicunt satis esse in hac re consulere Sedem Apostolicam.

47.

Tamen ego simpliciter dicendum existimo, quod dies festus talis beatificati, potest transferri, quia concessio Apostolica intelligenda est fieri juxta regulas Breviarii, & ita in multis Bullis beatificationis exprimitur, ut in Bulla beatificationis Beati Francisci de Borgia, dicitur ut recitetur Officium de Sancto Confessore non Pontifice juxta rubricas Breviarii, & ita semper intelligenda est concessio quamvis non exprimitur, quia mens Sacræ Congregationis videtur esse, ut quolibet anno ejus festivitas celebretur; ac proinde si propria dies est impedita ad alium transferatur: & recitatio talis diei non videtur ita restringenda, cum favore sint ampliandi, & concessio intelligenda est juxta rubricas Breviarii.

QUESTIO VII.

Supposito quod aliquibus conceditur licentia recitandi Officium, ac Missam celebrandi de aliquo Beato, an possint licite omnes alii uti tali concessione?

SUMMARIUM.

- 48. Status questionis.
49. Prima sententia affirmat.
50. Opposita sententia vera, & num. 51.
51. Diluitur fundamentum contraria sententia, & num. 51.
52. Frivole respiciunt aliqui Decretum Congregationis non admittentes.
53. Si detur reliquia insignis de Sancto beatificato in Ecclesia non propria, non debet de eo celebrari Officium, vel Missa, & num. 56.

48.

Questio præfens: concedit sua sanctitas ut una Provincia, vel Religio Officium recitet, Missam celebret de tali beatificato. Questio est, an non solum Ecclesiastici illius Provinciarum, vel Religionis possint illa solvere, an etiam Sacerdotes extranei, verbi gratiâ, alterius Provinciarum; vel Religionis possint de tali Beato Missam celebrare, & commemorationem facere in Missa per annum?

49. Tamburini.

Quitatanad.

Affirmativam sententiam docet Thomas Tamburini Opusculo de sacrificio Missæ, lib. 2. cap. 6. §. 8. num. 15. citans pro sua sententia Fagundez, in qua etiam sententia est Quitatanadven. tom. 1. tractatu 6. §. 5. num. 2. cum sequentibus. Fundamentum est, quia una Missa ejusdem est valoris, & dignitatis, ac quælibet aliarum, proindeque ut Pontifex declarat talem Beatum dignum esse una Missa, ut dicatur ab una persona determinata, declarat illum esse dignum omnibus aliis Missæ Sylveira Opuscula.

sis à quocumque celebrandis, & sic eum taliter sit declaratum, non est unde quilibet Sacerdos impediatur talem Beatum venerari per suas Missas, absque alia Sedis Apostolicæ auctoritate, cum jam per ipsam Sedem Apostolicam declaratus sit tali Missa dignus.

Dico tamen, quod opposita sententia mihi simpliciter est vera. Eam tenentur Granado Granado. secunda secunda, controvers. 1. tract. 7. disp. 4. sect. 2. num. 18. Turrianus 2. 2. disp. 17. dub. 8. Amicus tom. 3. disp. 7. sect. 2. num. 200. Pellizzarius tom. 2. tractatu 8. cap. 2. num. 126. Anton. Escobar in Theolog. Morali edition. ultima, Escobar. examen. 12. cap. 4. num. 42. Trullench. in Decalog. tom. 2. lib. 1. cap. 9. dub. 5. num. 9. & 10. Diana p. 12. tract. 2. resol. 21. & Joan. à D. Thoma Diana. Joan. à D. Thoma. ma superiori quasi citatus. Et probatur, quia maximè distinguitur cultus, qui defertur canonizato, ac beatificato: nam cultus canonizati conceditur simpliciter pro omnibus, ac cultus beatificati restringitur ad certam Provinciam, ac ad certam Religionem ut patet superiori q. ergo ex eo quod restringitur ad certam Provinciam, ac Religionem, ut ab eis Officium recitetur, Missa celebretur, altare erigatur, excluduntur alii pro quibus non conceditur.

Probatur etiam ex Alexandro III. cap. Audivimus, de consecr. quod non liceat sine auctoritate Romani Pontificis aliquid venerari pro Sancto, ergo eis, ad quos talis auctoritas non se extendit, sed restringitur, non licet alii cui venerationem exhibere quia quidquid amplius sit, sine auctoritate Romani Pontificis fit, ergo cum concedit licentiam pro tali Provincia, vel Religione, aliis censetur denegata, in hoc enim distinguitur canonizatio à beatificatione, cultus canonizati est pro omnibus, beatificati verò pro certis, & determinatis personis.

Nec obstat, quod facta beatificatione, supponitur talem virum esse in gloria, & sic deferri ei potest cultus: non inquam obstat hoc, quia cultus publicus non solum requirit, quod homo sit in gloria, sed etiam judicium, aut licentiam Ecclesiæ, quæ quoad hoc est restricta.

Confirmatur nostra resolutio ex declaratione Sacræ Congregationis Cardinalium approbata à Sanctissimo Domino Papa, quod nullus cultus deferatur viris beatificatis, nisi ille, qui Bullis beatificationis eis expresse datur, ac conceditur, ut patet ex ipso Decreto, quod retuli superiori questione sexta, in principio, numero 41.

Non de sunt tamen, ut advertit Diana, Doctores qui preffi supra dicto Decreto, quod satis urget, asseruerunt, vel non fuisse legitime promulgatum, vel non fuisse usu receptum, vel non tollere præxim, & consuetudines communiter in aliqua Provincia usu receptas; sed his minimè standum est: nam Decretum cum fuisset Romæ typis datum videtur sufficienter promulgatum, & mens Sacræ Congregationis est; ut beatificatis nullus alius cultus deferatur, nisi ille, qui expresse in Bullis declaratur.

Quæres tamen, verbi gratiâ, pro Beata Maria

50.

Turrian. Amicus. Pellizar.

Escobar. Trullench.

Diana. Joan. à D. Thoma.

Alex. III.

52.

53.

54. Diana.

55.

Maria Magdalena beatificata conceditur Carmelitanis in eius die Officium, ac Missam, celebrare; an vero si notabilis eius reliquia sit in alia Ecclesia Parochiali, verbi gratia, Sancti Nicolai, Clerici, vel Religiosi illius Ecclesie possint tali die de ea Missam, & Officium celebrare? Ratio dubitandi est, quia Sacra Congregatio die 8. Aprilis 1628. & antea die 23. Novembris 1603. decrevit; De Sancto cuius reliquia insignis habetur, & approbata, fieri posse Officium duplex; ut refert Lezana tomo primo summe, cap. 12. num. 3. Barbofa de Paroch. parte prima, c. 10. n. 18.

Lezana. Barbofa. 56.

Tamen existimo, quod de tali Sancto beatificato non possint recitari Officium in alia Ecclesia, praeterquam illa, pro qua conceditur, verbi gratia, Carmelitana Probatum, quia dispositio generalis restringitur ex dispositione particulari, l. cum prator, §. Dulcissimis, ff. de legato 2. l. est de certa re, l. de Transactis. Gironda de Privileg. seu exemption. signific. num. 277. Surdus consil. 389. num. 9. & sequentibus; ergo illa dispositio generalis recitandi Officium de Sancto, cuius est reliquia notabilis, restringitur à dispositione particulari, in Sancto Beatificato pro tali loco, & Religione. Secundò, dispositio generalis non comprehendit casum specialiter diffinitum; l. cum in testament. §. final. ff. de hered. institut. lib. seruo manu missio, ff. de pecul. leg. Barbofa Axiomatica juris; Axiomate 73. numero nono. Atqui de Sancto beatificato specialiter diffinitur cultus pro certa Religione, ac loco, ergo illa regula generalis de officio pro habita reliquia, non comprehendit cultum pro tali Sancto diffinitum.

Barbofa.

QUESTIO VIII.

Explicantur alii cultus, qui possunt Beatificato deferri.

SUMMARIUM.

- 57 In honorem Beatificati potest erigi altare, & etiam Capella, non tamen templum consecrari.
58 Ex communi usu Beatificatus defertur in processionibus, depingitur cum lumine, non tamen cum radiis, & n. 59.
60 Beatificatus vulgariter potest dici Sanctus.

57. Turrianus. Amicus. Granado. Joan à D.Thom. Diana.

EX doctrina data maxime questione sexta, inferunt ibi citati Auctores Turrianus, Amicus, Granado, Joannes à Divo Thoma, ac Diana, quod in honorem, ac venerationem Beatificati potest erigi altare ab his tantum, quibus conceditur Missam celebrare, in eorum Ecclesiis tantum, & non in aliis; nec etiam templa consecrari, ab his etiam, quibus data est facultas Missas celebrandi. De altari idem ostenditur, quia hic honor est intrinsecè connexus cum ipso cultu sacrificii, cum nequeat nisi in altari sacrificium offerri, ex quo infero, quod ei etiam potest consecrari Capella, quae maxime requiritur ad decentiam, & ornatum altaris, & cum erectio altaris sit in ordine ad

sacrificium, inde fit, quod solum altare erigi potest ab his, quibus datur sacrificium offerre. Nec possunt Beatificato templa dedicari, inquit Auctores citati, quia honores beatificati restringuntur in Bulla ad certas personas & ad certum cultus genus; ergo non est extendendum, quia ad sacrificium Missae celebrandum sufficit altare, ergo non est ampliandum ad dedicationem templi, hoc enim pertinet ad cultum canonizati, qui superior, & excellentior est.

Observant etiam Joannes à Divo Thoma secunda secunda, disputatione nona, articulo primo, folio 772. & Amicus tomo quinto, disputatione septima, sectione quarta, num. 100, quod nempe ex usu, & praxi communi videmus aliqua specialia signa publici cultus exhiberi Beatificatis, quorum non fit expressa mentio in decreto Beatificationis: nam solent deferri eorum imagines, aut reliquiae, in solemnibus processione, & in templo, aut altari variis locis collocari, & cum lumine pingi, vel circulo in capite, non tamen cum radiis, hoc pertinet ad canonizatos.

58. Joan. à D.Thom. Amicus.

Difficultas etiam est, an Beatificatus possit Sanctus appellari? Et ratio difficultatis est, quia in Decreto Beatificationis explicatur, appellandum esse Beatum. Tamen multorum sententia est, ut testatur Turrianus secunda secunda, disputatione decima septima, dub. 8. Beatificatum appellari posse Sanctum, quia beatificatus est. Primò, quia ita habet communis usus, & praxis populi Christiani. Secundò, quia est sermo de Sanctis Beatificatis, in cuius beatificatione conceditur aliquibus, ut Missa, & Officium de communi possint recitari, & celebrari certo die, & beatificatus vel est Confessor, & Pontifex, vel Confessor & non Pontifex, seu Abbas, & in oratione secreta utriusque Missae communi datur Sancti appellatio. Tertiò, quia Sancti appellatio videtur inclusa in appellatione Beati: nam nomen Beati in hac materia significat animam viri defuncti esse in beatitudine essentiali, & videre Deum clarè, omnis enim Beatus sanctus est.

59. Turrian.

Observandum tamen est, quod Beatificatus dicitur Sanctus, non quod ita declaratus sit auctoritate Apostolica, nec quod in Catalogo Sanctorum scriptus sit ab Ecclesia, sed quod cum per beatificationem declaratus sit Beatus in gloria Dei, ac visione beatifica essentiali, inde Sanctus nuncupatur. In quo maxime distinguitur haec appellatio à viro pio, & devoto, quia aliquando dicitur Sanctus secundum vulgi opinionem, ac aestimationem; at beatificatus dicitur Sanctus, ex eo quod ab Ecclesia Beatus declaratur.

60.



RESOLUTIO XVI.

Bellum.

QUESTIO PRIMA.

Quid, & quoruplex sit bellum, nominisque ethimologia, & quas condiciones requirit?

SUMMARIUM.

- 1 Ethimologia nominis belli.
2 Quid sit bellum, & in quo differat à seditione, & rixa.
3 Quoruplex sit bellum
4 Explicantur condiciones belli iusti.
5 Causa, ob quas bellum indicitur.

Hæc materia maxime pertinet ad summistas ac Theologos, 2. 2. Tamen prout ad Religiosos, ac Ecclesiasticos pertinet, breviter prælibabimus, & à nominis ethimologia incipio. Bellum à beluis dicitur; ut ait Festus, quia belluarum sit perniciofa dissensio, seu ut ait Servius apud Theaurum linguæ Latinæ, bellum dicitur eo quod quid minime bellum sit, & in hoc incidit, quod ait Valentia tom. 2. disp. 3. quæst. 16. punct. 1. quod dicitur bellum per antiphrasim à bello, id est pulchro, quia nihil pulchrum habet.

Festus. Servius. Theaurus.

Valentia.

Bellum, ut docet D. Thomas 2. 2. quæst. 41. art. 1. & Theologi ibi, est armorum conflictus, seu professio nocendi, vi, & armis contrariæ parti: differt tamen à seditione, & rixa, bellum enim multitudinis est contra extraneos, seditio verò multitudinis contra multitudinem ejusdem civitatis, seu communitatis. Rixa autem paucorum, vel singulorum contra paucos, vel singulos. Ita D. Anton. part. 2. tom. 4. cap. 8. §. 1.

2. D. Thom.

D. Anton.

Bellum, aliud est publicum, aliud privatum. Publicum, quod indicitur auctoritate supremi Principis, privatum, verò, quod tali auctoritate non indicitur, sed alicujus principis superiorem habentis, Secundò, Bellum aliud est offensivum, aliud defensivum. Offensivum verò, in quo vis infertur, injuriæ vindicandæ causa, defensivum autem id, in quo vis per injuriam illata repellitur. Tertiò, Aliud est justum, aliud injustum. Justum, quod habet condiciones infra assignandas; injustum verò, quod illis privatur, Reginaldus tom. 2. lib. 2. 1. cap. 110. Filliucius tract. 20. cap. 9. num. 180. Layman. lib. 2. tract. 3. cap. 12. n. 2. Rodrig. in summa tom. 1. cap. 25. Sylvius 2. 2. quæst. 4. art. 1. ex D. Thoma.

Reginald. Filliucius. Layman.

4. D. Thom.

Ad bellum justum tres condiciones requiruntur ex D. Thoma 2. 2. quæst. 40. art. 1. Prima legitima auctoritas indicentis, qualis residet in supremo Principe, ac perfecta Republica, Secunda conditio, quæ est populatio gravis, ac certæ injuriæ, vel in propria persona, vel in re sua, & non sufficit qualiscumque perlua-

sio, de justa belli causa, sed requiritur certa vel saltem probabilis cognitio, quæ arbitrio prudentum sufficere possit. Tertia, quod non ex odio, & invidia, sed ex motivo charitatis, vel justitiæ id fiat, ita ex Bacconio Michael de Bononia in 4. dist. 15. quæst. unica, Molina disp. 102. Victoria de bello, num. 20. 21. & 27. Bonacin. de restitut. quæst. ultima, sect. 1. Bonacina. punct. ultim. §. 1. num. 6. Azor. 3. part. 1. 2. cap. 7. Azor. quæst. 1. & 5.

Bacconius. Michael. Molina. Victoria. Bonacina.

Causæ, ob quas ille, qui habet auctoritatem justè potest bellum indicere tredecim à Doctoribus enumerantur. Prima est infidelitas non quidem sola, sed ob aliquam circumstantiam ei annexam, nempe quando infideles inferunt injuriam Christianis adducendo illos à vera religione, vel impediendo prædicationem Evangelii. Secunda; est hæresis, requiritur tamen ut hæretici sint ab Ecclesia denunciati. Tertia; quando negatur aliquid, quod jure naturæ debetur. Quarta; quando terræ, vel regna injustè ab alio possidentur. Quinta, quando populus injustè opprimitur servitute, vel aliis injuriis. Sexta, quando populus præbet auxilium inimicis, qui gerunt injustum bellum Septima, quando legati alicujus Principis afficiuntur magna contumelia Octava cum quis seditionem movet, vel rebellionem contra Principem, Nona; cum quis defendit hominem sceleratum, qui justè petitur ad supplicium. Decima; quando Princeps, vel populus non stant pactis, vel pollicitis. Undecima; defensio amicorum, & liberatio ex captivitate Duodecima; cædes alicujus viri Principis sanguine conjuncti. Decima tertia; quando populus confederatus, & amicus habet justam causam inferendi bellum Ita Covar. Reg. peccatum. part. 2. §. 9. Molina tom. 1. disp. 104. Azor. citat. cap. 7. quæst. 3. & 4. Bonac. de restit. disput. 2. quæst. ultima, sect. 1. Bonacina. punct. ultim. §. 2. num. 7. Layman. lib. 2. tract. 3. Layman. cap. 12. num. 5. Sylvius 2. 2. quæst. 40. art. 1. q. 2. Sylvius. & 4. conclus. 1. Ballæus verb. Bellum, n. 3.

5.

Covar. Molina. Azor. Bonacina. Layman. Sylvius.

QUESTIO II.

Utrum dari possit bellum ex utraque parte justum?

SUMMARIUM.

6 Formaliter, ac per accidens potest dari bellum justum ex utraque parte, non tamen materialiter.

Respondeo cum communi sententia affirmativè, quod dari potest formaliter, ac per accidens, ut propter invincibilem ignorantiam alicujus, aut propter opinionem probabilem, quam quisque sequi potest in bello indicendo. Sic fit bellum ex utraque parte justum, quod perpetrarunt Israëlita contra Chanaanos: erat justum ex parte Israëlitarum, quia habebant divinum mandatum: Erat etiam justum ex parte aliorum, quia divina voluntatis, ac mandati divini habebant ignorantiam. Materialiter verò, re ipsa non potest esse bellum justum ex utraque parte, quia

6.